DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. MARTIS.

M. ANDRÆA GVYET, Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne ſimplex cibus multiplici ſalubrior?

QVEMADMODVM lucernæ, ſic nec caloris natiui flamma, quæ vita eſt, diu vigere poſſet, niſi perpetuo oleoſi cujuſdam ſucci pabulo foueretur. Vorax quippè connatum ſibi humorem obligurit, vt nepotum inſtar ſeſe ipſum funditùs diſperdat, nédum miniſtras, vel principes corporis partes. Hæ quantúmvis ex ſimpliciſſimis naturis ſimplices, vix tamen humore vitali perfuſæ ſunt ac ſpiritu, cùm jam caloris vi patiuntur nunquàm deſinens, niſi in mortem, vtriúſque effluuium. Impediri nullâ arte poteſt, nec optimi alimenti beneficio reparari, quin de vitæ noſtræ principijs aliquid damnoſa ſemper imminuat dies. Quantum igitur intereſt eorum, qui ſaluti ſeriò conſulunt, nè ſpreto omni ciborum delectu, quidquid occurrit gulæ veluti gurgites hauriant; ſed huic alimentorum generi ſeſe addicant potiſſimùm, ſalubritatíſque laudes tribuant, quod coctu facillimum, nullâque ferè excrementorum ſarcinâ corpori graue, ortam ex amico caloris, & humoris diſſidio labem ſingularum partium, quâ poteſt maximâ laudabilis ſucci copiâ valeat reſarcire.

NON ex quâuis materiâ homo; nec ex re quâlibet homini cibus. Si quem à puris elementis, duriſuè lapidibus, licèt pretioſis, expectas, lapis es; ſi vel ab auro metallorum principe, Agyrtis mendacior, vel credulis diuitibus ſtultior. Hæc neſcis eſſe frigidiora morte, nec tàm vitæ, quàm mortis inſtrumentum, ac ſæpè pretium? Verum quidquid hominem alit, primarum qualitatum ſubſtantiæque modum teneat corpori familiarem, quod calidum humidúmque eſt: vnde viuaciores qui hâc nati temperie, & ſalubrius alimentum quod coctu facillimum ſimilibus gaudebit dotibus. Id quondam vixerit neceſſe eſt, ſeu ità volente naturâ, quæ res cæteras vni homini tàm religiosé mancipauit, vt illi ex vitali etiam fundo tributum perſoluant; ſeu potiùs magis nobiſcum conueniat cibus qui ex plantis, animalibúſque petitur: hunc ſcilicet jam ore ſubactum ventriculus amicè ſuſcipit, & elixat in liquorem qui ſuis recrementis defæcatus, vix vllâ deinde peregrinâ qualitate inficitur: & prætereà in jecore corde, veníſque perficitur, vt ab omni impuritate vacuus ſufficiatur in locum deperditæ ſubſtantiæ. Tum maximè nitent viſcera, tam luculento irrigata ſanguine, ſplendent ſpiritus ad ſingulas functiones perbellè obeundas; tam ſalutari ſucco reſtitutæ partes effloreſcunt; vigétque totius corporis ac animi robur alimenti præſidio, quod dùm calori coctionum omnium autori minimum faceſcit negotium; firmam quoque homini, ſalubrémque conciliat, ac tuetur valetudinem.

EX quo priſci relictâ glande meliorem, vſu magiſtro, didicere viuendi legem; cibus ille ſimplex audit, qui ex elementorum mixtione coaleſcens, licèt ſpecie diuerſus, amicâ tamen & ſimili qualitatum mediocritate conuenit, vt vno eodémque tempore facillimè concoquatur ad neceſſarium nutritionis opus. Quod vt aliqua cum laude præſtet tàm ineptus fuerit, ſi crudus abſquè vllâ artis præparatione objiciatur, quàm ſi vario adulteretur coquorum mangonio. Hi minus putant alienæ ſeruijſſe gulæ, ni frigida permiſceant calidis, dura mollibus, tenuia craſſis, imò alimentis voluptaria quoque venena. Quaſi verò qui Deorum cibus fuit, is etiam ad homines pertineret; vel longior ipſorum vitæ diuturnitas, arceſſitis ex multiplici cibo ægritudinibus eſſet reſcindenda! Tot tantáque ſunt luxuriæ aduerſus ſanitatem ingenioſæ ſupplicia! à quibus immunem te præſtiteris, ſi viuas memor illius eſcæ, quæ ſimplex nullam ventriculo ſeditionem mouebit, repurgatíque ſanguinis plurimùm, excrementi minimùm ingeret. Vt quemadmodum hominem vehementiùs delectat quæ nitet abſque pigmentis venuſta facies: ſic cibus ſine vllo alienæ qualitatis fuco jucundiùs afficiat, corpuſque muniat aduerſus innumeros morborum inſultus.

MEDICINÆ parens optimus Hippocrates, Medicorum nutrix intemperantia. Nauſeat ad cibum ſimplicem vix niſi eſurientibus placiturum: ſed ad irritandam potiùs quàm ſedandam famem, viribus inter ſeſe pugnantia anhelat fercula. Ceù homini ad artes, & ſcientias, non ad gulam nato parum eſſet veſci pane alimentorum præcipuo, & perpaucis carnibus, quæ totâ Indiâ facillimè careant, niſi comedenti defuerit condimentorum optimum fames. At longè aliam inuenit viuendi rationem luxuria terrarum maríſque vaſtatrix: In vnum eundemque paſtum carnes piſcibus conjunxit, domeſticas ſilueſtribus, terreſtres volatilibus; neuè cuiquàm parceret, cæteris nec ſibi imperaturum animal, ſuum quoque pecudibus inuidit pabulum; quadrupedi herbas, fructus volucri: ſingulis tamen vnum reliquit aquæ liquorem, hòc ſuæ valetudinis odio, vt ne tam ſalubri & ſimplici potu, ſanior piſce fieret metuere videretur: ſed vino indulget nulli non ætati fere aut temperiei aduerſo, quod vt calx ad arboris radicem conſperſa, fructum accellerat, arborem verò perimit, ſic corporis ſpiritus; facultateſque erigit, mortem verò maturat. Tot tamen adeo inter ſeſe facultate diſcrepantia alimenta nec vno ferè ventriculo capi, nec aliquando immutari, aut vnquam ſtrenuè ſubigi poſſunt; gemit intereà ſub eorum pondere obrutus calor, languet varietate diſtractus, ſingula ſic attingit, vt jam putreſcentia moleſto quodam odore faucibus repræſentent, quantam ſint corpori illatura perniciem. Sic homo totus euadit gulæ nec Naturæ vitio morbus. Hunc peredit pericuſoſior excruditatibus, quàm ex fame macies, hunc aquoſus diſtendit languor; illum lurida bilis decolorat, illum ſpiritus, neruíque omnes deficiunt; nec tot malorum cauſam niſi ſimplicis cibi ſalubritate expugnare cui coquendo, vel cum iufirma ſit, natura ſufficiat, nec vlli rei referre poſſis acceptam, niſi inimicæ diſſimilium ciborum multitudini. Quâ ſemel inuſti ſunt cruditatis labe, hanc nunquam delebit vlla naturæ vis. Hinc ſanguis tot ſordibus inquinatus, tàm impuri ſpiritus alendo corpori inepti ſingularum partium defraudant genium, qui, Tantali inſtar, è tot vicinis ſuccis vix aliquo poteſt recreari.

VIS igitur Homo, vitam viuere ſalubriorem, & ab omni morborum cruciatu ferè ſecuram? Ab eâ diuerſæ naturæ ciborum copiâ, & varietate non minus caueas, quàm à meretrice. Hæc mentem ſuis in eſcat illecebris, vt corpus libidine peſſumdet; illa lenocinante gulâ blanditur corpori, vt ſuis quoque vitijs inficiat animum: vtráque paribus prope modùm fallacijs ſanitati tuæ inſidiatur, niſi Naturam ſequaris ducem. Hæc quidem optima parens paucis contenta, reuocat te ad ſimplicem cibum, omnium animantium documento, & ſuo. Quandiu te ſuo nutu atque arbitrio fingebat, nonne ſolo ſanguine in vteri penetralibus, vno deinde lactis alimento, vitæ tuæ atque lucis rudimenta fouit? Quare grandior factus, tam præclara ad ſalubriter degendum exempla frugalitatis ejuras? An quia non modo multiplici cibo corpus grauatur, verùm animus penè eliditur? dum impuro ſanguinis, ac ſpirituum commercio hebeſcit ingenij acies, frangitur judicij robur, moritur memoria, atque tota mens veterno quaſi ſepulta torpet; vt quid vel in capitolio edendum, ignoret tot epulis famoſus & triumphalis ille ſenex, qui ſeruo manum in cibis deducenti faciliùs parere didicerat quam Naturæ. Adeo pugnat cum benignâ hacce corporis humani moderatrice luxuriæ ambitio. Amat alia facili ad coquendum cibo refici, nondum ſatiari. Alia metuit ne non eſuriat poſt ſaturitatem venter, qui inuitâ ſanitatis Deâ, nullo non eſculentorum genere impletur, farcitur, irritatur. Quiſquis morborum tormentis, ac præmaturo fato, eximere ſe voluerit, longè diuerſam teneat viuendi methodum: Neque tamen adeo ſollicitus ſit, an bis in die, an ſemel comedat; an prandio liberaliùs, an cæna; an meridiano velut à veſpertino paſtu recens dormiat: quarum omnium difficultatum duratura adhuc ſub judice lis eſt: imò ſuâ cum fame ita ſe gerat, vt præuiâ quâdam excercitatione, nullo alio horologij monitu ſentiat ſe ad cibum vocari. Nec eum auidiùs, & neglecto quouis ordine promiſcuum hauriat. Elixa præmittat aſſis quamquam humidioribus, liquidiora ſolidis, tenuia craſſis; hæc aliquo diluat potu identidem repetito. Modo ſimili qualitatum ſubſtantiæque modulo ad hominis temperiem accedant, tam diuturna firmáque erit illi ex ſimplici cibo valetudo, vt vitam poſſit regere ſuo arbitratu, nec toties Medico porrigere manum.

Eſt igitur ſimplex cibus multiplici ſalubrior.



Aſſerebat Lutetiæ NICOLAVS BONVARLET, Rethellinus, A. R. S. H. M. DC. LXII.